

landum inhabiles, & pretiosissima rerum
repositis locis abdita, ipsi autem armati
classe cōscensa, experiri fortunam pelagi
decreuere, casus præstitit, & Salaminæ vi-
ctoriæ successus, vt consultor, verax ha-
beretur. Qua in re, si non plus illinc Xer-
xis ignauia, hinc Themistoclis consilium
ac virtus, quàm Apollinis oraculum effe-
cisset, ægrè profectò muris ligneis, hostis
tàm numerosus excipi valuisset.

I D E M.

PAulo Lacedæmoniis apertior, quibus
eadem tempestate consulentibus, aut
vrbi aut Regi eorundem pereundum
esse respondit: Atque ita contigit. Rex e-
nim Leonides gloriosissimè moriens, pa-
triam reliquit incolumem, quāquam re-
ctè iudicantibus, oraculo Regis mors,
virtuti Regiæ, salus vrbis ascribenda sit.

I D E M.

Quid quod in consilio anceps & ob-
scurus, in adulādo clarus & simplex
reperitur? quid causæ putem interuenis-
se, nisi vt illic remedium occultaret, hic
superbiam & inanem iactantiam, morta-
lium pectoribus ingereret? vtrobique fal-
lendi propositum vtilia tegere, damnosa
reuelare, Socratem omnium qui viuerent